

39. III. Invita sunt molesta. Sed qui concupiscentiā
vel irā fertur, nil molestiæ sentit, sed voluptatem potius capit.
E. Huc quadrat illud Poëtæ:

Est vindicta bonum, vitā jucundius ipsā:

40. Inquis: Cujus facti nos poenitet, illud est invitum:
Sed quorundam ex ira vel cupiditate factorum nos poenitet.
E. quædam sunt invita. Major superius thesi 16. videtur con-
cessa: minoris veritas constat per experientiam.

41. Sed respondeo ad majorem, non cujusvis facti
poenitentiam illud reddere invitum, aliās etiam fur vel scelera-
tissimus quisque invitus peccasse dicendus esset, quod nemo
facile affirmabit. Neque diximus nos supra omnia, quæ sequi-
tur poenitudo, esse invita, sed ea tantum, quæ fiunt ob igno-
rantiam. Et hæc hætenus de invito & spontaneo.

COROLLARIA.

Triplicem scholastici doctores faciunt ignorantiam, antecede-
ntem, comitantem & consequentem. Gabr. Vatzquet in 1. 2.
som. 1. d. 19. c. 1. statuit Aristotelem 3. Eth. c. 1. tantum meminisse
antecedentis & comitantis. Nos dissentimus, & eum consequentis
etiam rationem habuisse asserimus.

*An qui ex ebrietate peccat, duplici pœnâ sit dignus? De
hoc videbimus in actu disputationis.*

III.

Paralip, Celantes, Dabitur non sunt syllogismi indirecti.

IV.

Syllogismi constantes medio singulari sunt veri syllogismi.

V.

*Et non tantum in tertiâ, sed & in prima figura rectissime
conficiuntur.*

VI.

Quadrant etiam ad dicta de omni vel nullo.

Ad